

RELIGIO

Quam Olea coronat , & gladius

O R A T I O

Habita à P. Andrea de Puteo
Soc. Iesu .

IN FVNEBRI POMPA

CLEMENTIS IX. PONTIF. MAXIMI

Iussu

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISS.

D. MARCIGALLII

Episc. Ariminensis, & in Regno
Neap. Nuncij Apost.

Neapoli in eiusdem Societatis Iesu

TEMPLO



Neapoli, Ex Typographia Lucæ Antonij de Fusco. 1669.
Superiorum licentia.

In Funere

C L E M E N T I S IX.

Oratio .



Scilicet cum singulis perturbationibus animi con-
 fligere, vel valentissimo periculosum sem-
 per fuit, & anceps; dementia profectò ge-
 nus erit congregi velle cum vniuersis. Vno
 iræ impetuse de potestate mentis eiectum
 Maronianus ille Heros conqueritur. Quid
 si accedat dolor, commiseratio, mæror, luctus publicus, &
 (quod ægritudinibus animi semper maximum pondus
 addit) ingens amor exæstuet? Quantum nos olim Iulius,
 tùm Clemens (augusto in Pontificium influente nomine
 vt integra vndeque; Maiestas coalesceret) Pont. Max.,
 idemque breuissimus angit, premit, torquet, exagitat?
 Credat hoc quisquam Clementem ea appellatione No-
 num (ò æquè fallaces Vates, ac numeros, cum tantum
 opus dignum cedro, neque nonum prematur in annum.)
 Credat, inquam, Clementem Christianæ Reipublicæ ca-
 put, si dignitatem spectes, si verò liberalitatem, beneficia,
 affabilitatem, amorem, comitatem, largitiones, facilitatem,
 Mores, Europæ delicias, & ocellum, terrorem Asiæ, publi-
 cæ felicitatis scientissimum Gubernatorem posse vecto-
 ribus propè dixerim creare naufragium? Cum videam
 vos fluitantium in morem attonitos, madidos, frigidos, ex-
 succos, exangues. Sic est profectò A.A. vnus conuersio
 syderis, sus, deq; vertit omnia, miscet ima suminis, & con-
 festim rerù facies vniuersa mutatur. Atratus iste, & vestris

concolor mentibus parietum amictus, nocturni facularū splendor, apparatus funebris, pompa lethalis, luctus, ubiq; dolor, & plurima noctis imago, extinctum Solem denunciant. Verū quid ego vos diutius teneo, & per ambages, per quædam veluti rudimenta doloris ad imagine vulnus erudio? quasi verò satius sit lato cæsim gladio perire, quā punctim. Si quādo dolēdū est, dolēdū est citò; & quod ōne fellis virus ebibit ad stomachi compendium vno, celerique exsorbendum est haustu. Dicam igitur licet inuitus, & quanta maxima possum voce pronuncio: Clemens Nonus, hæret adhuc lingua faucibus, extinctus est. Vix sibi credunt, qui viderunt extinctum antè triennium, quem omnes optabant æternum, sperabant diuturnum, & ad doloris incrementum incommodissimo Christianæ Reipublicæ tempore, tot præclarissimis cæptis, quæ plurimum lustrorum Pontifici nē in mentem quidem venisset, interruptis, extinctus est. Et Clementem Nonum nobis non nisi decumanus fluctus eripuit.

Scilicet non diū regnat Clemens in Terris, quæ iisdem, quibus fugant flagitijs, Iustitiam, Nemesimq; vocant ad Regnum. Accedit tot incommodis, quod Pontificum maximus ab infantissimo, eodemque prope dixerim extempore oratore laudatur. Quanquam si rationes rectè subducimus, facit id ad publici, maximiq; exaggerationē doloris: licet enim mihi longè potiori iure, quod in summi quondam Pontificis funere summus item Orator inquit, usurpare, par esse, ut sicut in Christi Domini quotannis repetito luctu canora quæque Metalla silent, obtusiora tantum perstrepunt, sic in eius Vicarij obitu non nisi ignobilis vox Oratoris audiat.

Et quoniam ad dolorem in Carissimorum funere leniendum valet plurimum, quod apud Ægyptios primò factitatum legimus eius, qui nobis ereptus est imaginem concinnare, unde pictura duxisse fertur originem, conabor ego ad
vestras

42
vestras siccādas lacrymas Clemētis simulacrū in armata
Palladis effigiem conformare, itaut si tergemina Clemē-
tis tiaram, quam tantum adumbrandam suscipio, excutias,
nihil in illo præter morum sanctitudinem, pacis studium,
& bellicum ardorem reperiās, & Clementis Noni insi-
gne sit

Religio, quam Olea coronat, & Gladius.

Et pacis quidem studium Principum omnium votum est, non
secus, ac Gubernator conscensurus nauim tranquillum Ma-
re peroptat. Verum cum non omnes Vlyssæo more ventos
vire clausos ferant, plerumq; accidit, ut quæ manè plaudē-
tibus auris, vndisque ferentibus luserunt nauigia, foedis ex
improviso coorientibus tempestatibus vespere sorbeantur.
Longè verò foelicior Gubernator est Princeps, nunquā
enim ille, nisi tranquillo Mari, & benignioribus astris con-
sultis, soluit è litore; hic verò quoties turbato Cælo, au-
strisq; furentibus, clauum sumere cogitur, eoque cursum
dirigere, non quò eundem est, sed quò rapitur, & fertur
in præceptis?

Quis tibi tunc sensus Clemens, cum saulemte iam pelago ad
Petri Nauiculam vocareris, sessurus ad clauum, & cum
cuncta itinerum initia non solum tranquilla soleant esse,
verum etiam bracteata, tibi nec incipienti, aut otioso lice-
ret esse, aut saltem tutò; nec iam celeusma, sed classicum
personaret.

Iam facem Bellona susculerat, iam non ex aliquo editiore
loco, quò minus provideri posset & occurrì, sed &
Belgij planitie belli signum ediderat, & cunctorum
quà armis, quà animis studia in contraria seindebatur Eu-
ropa. Maximus Regum sed pupillus Prudentissimus, &
vel Semiramidi inuidendum Regimen, sed Regina: Rex
alter item prudentissimus, sed præseruidi adolescens inge-
nij, & qui tunc primum incristas assurgeret, Consilia auli-
corū, quibus pretiosæ sunt tempestates, diuersa quidem

A 3

sed

sed igni æquè apta concipiendo, pabula surgenti sufficie-
bant incendio. Intàto armorum apparatu, in tot appetē-
tis belli tumultibus; in tanto fletu imminentes calamitates
representantiū, in expectatione conflictuum, funerum, inter-
necionis, direptionum, incendii, in tanta tempestate per se
quidem magna, sed quam rumor, metus, politicorum so-
lertia, otiosorum colloquia maiorem reddiderant. Omniū
vota, spes verò paucorum in eo sita erat, vt experientissi-
mus aliquis Palinurus reuiuisceret, qui quā clauo, quā vo-
ce, quā pectore, hos fluctus cautus eluderet; illos audax
frangeret: nunc undā rate excipiens, nunc carina premens;
modò turbini obsequens, modò obstitens, non sine tacito
aliquo cum astris commercio furentem pelagum si non
consopiret, saltem itā demulceret, vt de reditu ingratiā
possent esse commercia. Nec eos spes fefellit, in illa enim
semper in peius ruentium desperatione rerum Iulium re-
pente sidus effulsit, quod Romanis amicū ratibus fero-
cients pelagi insaniā Clementem expertū est, retulit-
que cum nomine à deuictō hoste victoriā. O Iulij soler-
tiā singularem! O Clementis diuinā auctoritatē! O
Pontificis incredibilem felicitatē! Vidisse nos quæ
cum oblectatione Virgilianis ridemus in fabulis.

Iamq; facēs, & saxa volant, furor arma ministrat.

Tum pietate grauem, ac meritis si spātē virum quem

Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant,

Ille regis dictis Reges, & pectora mulcet.

Vtupasse nos oculis quæ fabulosa ducimus in historijs, Au-
lum scilicet Iunium, an Iulium currum, & equos plenissimo
cursu ruentes corporis sui mole repente stitisse.

Citiùs Te è Regum manibus cruentas abstulisse hastas, quam
confligentes in singulari certamine ciues. Prætor exar-
met. Citò comparatas etiam ingentes victorias legimus;
quippe quas vel Mars semper præceps, vel cæca fortuna
dispertiat. Pacem citò inter Reges firmatam legimus. non
quam

quam. Gramina bellantium præmia frontium eadem quæ
 feueris die, demetias; Mineruæ oleam nemo ferit nisi
 nepotibus profuturam. Capiō vnde tibi tam maturus,
 tam acerbis nobis obitus tuus obtigerit. Decepta
 mors est gestorū tuorum magnitudine. Vidit à te
 confectum, quod longæui Pontificis cum admiratione
 fastos impleret. Vidit iunctas dissidentium Regum tua fe-
 ciali auctoritate dexteras. Vidit te cū potentissimis deli-
 cati fastidij Regibus tanta dexteritate rem transegisse,
 ut cum sequestri pacis alterutri aliquando displiceant; in-
 terdum neutri placeant; tū fueris utriq; carissimus, cum
 omnia sic dispensares, ut suum uterq; crederet. Vidit te
 auctore Polonos (arduum, & ipsum, longumq; negotium)
 Regni habenas pro Religione non pro cupiditate, me-
 rentissimo Principi detulisse. Vidit bellum à te è Christia-
 norum sinibus depulsum in fines actum Thracios, & rata
 in tot egregijs facinoribus lustra transacta non annos, eos
 ad pondus exigens, non ad calculos redigens, cum iam
 satis prata bibisse cerneret, occlusit riuos. Atq; utinam
 Clemens tuam istam agendi pariter, & viuendi artem cō-
 pendariam possem ad te pro dignitate exornandum
 traducere. profectō non paterer mihi tot tua præclarissima
 gesta excidere, quorum singula singularem laudationem
 deposcerent, nec quæ pauca delibo summis tantum labijs
 degustarem. Vidistis .n. A.A. binos Reges quibus totus
 non sufficit Orbis, paucorum à me verborum ambitu, quo-
 dam veluti exceptos tugurio. Poloniam quanta quanta
 est, vno verbo salutaram. Quid sperent minorum Gentium
 Principes? quid oppida, quid illa ipsa, centum quæ susti-
 net Vrbes, speret Creta? & cum Neapolim, Pistorium
 Romanum, cæterasq; Italiæ, Hispaniarūq; Vrbes præteream,
 vnde virtutum Clementis oculatos testes producerem, in
 Cretam traiciam? Sed profectō traiciam, ibi enim suspi-
 ciet orbis terrarum, (quæ erat altera pars orationis meæ)

Pontificem militarem: Religio namq; ita huic conferta est,
vt nequeat oratione diuelli .

Verum quid Antistiri Sacrorum cum armis ? quid Clementi
cū gladio ? quid ? illud idē quod Palladi. Olea. n. nō alio me-
lius colitur ligone, quā gladio, nec vnquā Christianæ reli-
gionis pax firmior erit, quā cum Sacri belli exercitatione
vallabitur. Quid proderat dissidentium Regū armatas ma-
nus cohibuisse, nisi ferocientem, exultantemque Thracem
iugulum Religionis petentem, compesceret ? An idē ille
pacatam volebat Italiam, florentes Hispanias, quietam
Germaniam, Siciliam vberem, pinguem Neapolim, quō
eas pinguius barbarus prædo depasceret ? Actum. n. es-
set de finitimis Insulis, actū de te præclara Siren, de Italia
actum, si Cretense repagulum, quod tot annos, licet at-
tritis sæpè dentibus rabidus ille Canis obrodit, discerpe-
ret, atque conuelleret. Et verò iam conuellisset, nisi eam
Clemens Nona tua diuina virtus fulsisset, firmasset, & om-
ni auxiliorum genere instruxisset. Magnum fuit Illo Asiæ,
facile principi, nō annis cecidisse decem, nō mille carinis.
Quā honorificū erit Clementi Cretā annos duos supra vi-
ginti, tā crudeli bello, tā obstinata obsidione petitā, vt mil-
le minimū carinas, centena millia militū ipse aggressor, &
penē victor amiserit, suscepisse propugnandam. Mirentur
alij Clementem vix ad gubernacula Sacræ Navis eue-
ctum, cum posset illam per stagnantis Lucrini otia cir-
cumducere, in Cretam cursum rectā dirigere, hoc est in-
scopulos, in syrtes, in breuia, in nauis fragum Scyllacæum.
Mirentur animi magnitudinem in sollicitandis ad Sacrā
expeditionē Regibus, ab ijsq; quā pecunia, quā commea-
tu, quā classe, quā florentissimo adiutum exercitū. Miren-
tur constantiam, cum vna expeditione non succedente
festinet ad alteram, & vno amisso non deficit alter viui-
dus, & simili vallatur milite Creta. Mirentur omnes
eius cogitationes, curas, studia, Gazas, ~~Ærariū~~, Cōiunctos

Ne-

Nepot es in Cretam transmissos. Mirentur nullam vnquam hæreditariam à Domino suo arcem tanto labore, tot sumptibus, tanto ardore defensam, quanto Cretam propugnauit infinitis prope distantem spatijs, nullo hæreditatis iure, spei nullius illicio. Mirentur alij alia, quæ in hoc genere suppetunt plurima: ego nil ita stupeo, quam illum acerrimi iudicij Principem tam desperatæ Clientelæ patrocinium suscepisse. Quid enim ab ea speraret Insula, in qua vna tuenda Regina pelagi infinito suo thesauro penè exhausto pro se pugnans, pro aris, pro focis, & quoniam iam Cyprus exciderat, quod caput est pro Corona tam parùm profecerat?

Sed quanta videt Gubernator è puppi, quæ nos non videmus in transtris? rem ille transegerat ante cum Deo, à quo eam Clementi immissam mentem, demandatam Sparitam nefas est dubitare. Quis enim nesciat Clementem, ubi hæc agigaret, expedita classe, & exercitu tanquam leuis armaturæ præmissis milite, pro cataphractis Superos delegisse, cum ijsq; tota fuisse commercia? Omitto quas vniuerso propè Terrarum Orbi pro ea expeditione preces indixerit, rem necessariam quidem, sed Principi æquè facilem, cum ei suum tantummodò nomen adiungat. Venio ad ea, quæ per se obibat, ne si solis iuuaret imperijs & consilijs, Cretæ accideret, quod, & Sagunto expugnato, dum Romæ consulitur.

Quoties ille intrà Cænobii angustias augustū se abdens hospitem, eremicolamq; agens potius, quàm Pontificem, corpusculum senio iam, curisq; confectum, & oblectationibus diū ante præmortuum, afflictationibus, & præsertim in Bacchanalibus atterebat ieiunijs, vt pharmaco opposito proderet Cretensibus, quos Paulus appellat ventris mancipia?

Quoties ab humanis omnibus avocans animum, Deo se sistens, quem, sub Cereæ latitantem, venerandum ubiq; per

per vices populo proponi edixerat, & ad eius sese pedes
abijciens, ibique longas, nec sine lacrymis trahebat moras, & Moysen Hebrææ Ducem imitatus militiæ, supplices
ad Cælū tendebat manus, dū exercitus in arena confligeret, vt Pōtificis dextera miles præliari videretur in Creta?

Quoties solemnibus in supplicationibus sacros ab ore fundens sonos, fontes ab oculis, facem manu præterens incedebat, abiecta etiam Calantica, seu Syrius vreret, seu Boreas, nequidquā Cēremoniārū Arbitro proficiente, cui oppositum suadenti ait, si vrgeret adhuc tegendum caput, se nudo etiam pede incessurum coram Numine, quod abiectis omnibus expeditior esset ad configendum cum Thrace, qui ad exaggerationem terroris vittato etiam Capitis vititur tegumento, perinde ac non satis essent facies tam foedæ formidini?

Quoties sacras septē Principes Vrbis ædes totus ad pietatē cōpositus percurrrens, sacrasque sacra cum familia comitate preces modulans orabat enixè, vt septeno illo Summi Sacerdotis sonoro circuitu Hiericuntini muri corruerent, quos Turcicam obdurationem potes interpretari, cum lunam æquè alter in tessera iactet, alter vsurpet in nomine?

Quoties illum raro exemplo vidit Roma piaculari inclusum loculo confessos, vtroneosq; reos absolueret, cumq; coaceruatam, stipatamque frequentiam lictor arceret, nè noceret iudici reus, lictorem ipse submouens præclaras illas voces emisit: Et vbi nam aptius moriatur quàm in foro Clementiæ Clemens?

Quoties priuatas ædes ægros visurus, quoties publica obibat Nosocomia? vbi semel ad agentis animam, vetulæ pedes abiectus, non prius inde abscellit, quàm eam efflasset? Felix planè sœmina quæ migrans è corpore tam citò in Cæli Ianitorem inciderit.

Quid sexcenta huiusmodi Mediastrinorum munia ab eo obita recenseam? qui tam humilē semper macerabat argillā,
non-

nonne ille Cretæ suæ consuleret ? Norunt enim omnes Clemētē totū in Creta fuisse. Creta super mensā Agathoclis exemplo, Creta in familiaribus colloquijs, in penitioribus, & arcanis deliberationibus, Creta semper erat ob oculos. Vt tabellarios cum opportunis mandatis mitteret alacer, vt reuertentes moræ præstolaretur impatiens; vbi adessent, resignatis celerrimè literarum inuolucris, fasciculos deuoraret veriùs quàm legeret. Si quid fausti afferrent gestire, efferri lætitiâ, communicare cum omnibus, sed ante omnia innumeras Superis agere gratias, referre quas posset effusissimis largitionibus munerans in paupere Deū, qui sibi militabat in Creta. Si quid non ad votum flueret; vbi conquestus peramanter esset cum Numine se suæ deesse causæ, nullo tædio, verecundia nulla, noua à Regibus subsidia comparare. Et quoniam ad Principis palatum pleriq; vel cenant, vel simulant, Romæ Creta in Aulis, Creta in lycæis, in officinis Creta, Creta personabat in Triuijs Creta vndiq; & vndiq; Creta, & eò quis fortunæ suæ faber peritior habebatur, quò operosior figulus Cretam hand versaret, & fingeret. Vno verbo Aromatarios, qui sectæ Clementis cadaueri ad corporis eius etiam memoriam, sempiternam opobalsama indiderunt, eos cordis sanguinis Cretam innatantem reperisse crediderim, lapides certè nunciant repertos, & vndas.

Verùm quid per tot Clementis labores ex Creta retulimus? vtrumq; amissimus, inquit, Et Iouem suum non iam amplius seruat Crēta, sed perdit. Ego verò constanter vtrumque per nego; quod antequam ostendam, de Cretam excisam funditus, de illi Clementem immortuum. Quid tum è potestnè quicquam excogitari ab omni laude felicius, quam octogenariam vitam morti diu debitam æterni Numinis gloriæ, & felicitati publicæ consecrare, nec morientem, à statione discedere. Quibus Maiores nostri extulere præconijs Hispaniensis nescio cuius arci-
Præ-

Præfectum, qui ea à milite præfidiario dedita, cum pote-
 stas esset abeundi cum honore, pronus iacere maluit in li-
 mine clauibus collo circumligatis, hærente in ingressu
 victore, attonitoq; fidei iuauitæ miraculo? Ludouici,
 quem veneramur ad aras virtuti, & gloriæ, quæ par repe-
 riri possit oratio, in prima expeditione Othomanica pulsi,
 in altera luc sublati? Quidquam nè, vt ad propinquiora,
 & magis propriav veniamus, quidquam nè inquam exusta
 Nicosia, direpta Salamina, vastata Cyprus de Pij V. lau-
 de decerpit? Sed priores Pij lacrymas ex Cypri iactura
 celeberrima apud Echeneidas, vexillifera Dei parente,
 victoria reportata, deterfit. Celebriores videbit, vti spera-
 re fas est, Clemens ex editiore loco triumphos. Præser-
 tim si vos Neapolitani Proceres, viri estis, si prouidi, si tē-
 pestiuè rebus vestris, Patriæque prospicitis. Non enim iam
 comportanda est aqua ad longè diffitum extinguendum
 incendium, sed dum proximus ardet Vcalegon, Partheno-
 pi vestræ consulite, cuius pulchritudini tantopere admissa-
 rius ille Equus adhinnit. Mementote coronatum illum
 prædonem vel in Creta, argilloso scilicet loco, licet toties
 ante fallēte vestigio, pedē tandē fixisse. Ante cētum annos
 Cypri potitus est, & in singula secula Regnum sorbet.
 Cauete, per Deum, nè qui morbus hætenus secularis
 fuit, contrahatur ad lustra, & dies malo nostro critici inci-
 piant esse viciniore. Consulite Geographos: ecquodnam
 Regnum sit vnguibus illius Harpyæ vicinius? Dicent pro-
 fectò vtramque Siciliam illi esse æquè in amoribus, & in-
 conspectu. Cauete nè qui Adriacæ Reginæ Maris geminos
 prope oculos eruit, Adriaticæ Reginæ terræ gutture lidat.
 Vnus vos gradus à ruina seiungit, à periculo nullus. Sed
 quò militaris me æstus abripit? scilicet vbi de Clemente
 Nonno sermo est, bellicus ardor exæstuat. Redeo ad Clemen-
 tē, cui quanto putamus Cretam morienti fuisse solatio? Vi-
 debat enim labores suos, curas, vigilias, conatus, sumptus,
 classē

classem, exercitus, iam è Cretà in fortunatas Insulas appu-
 lisse, ibique opperiri Clementem, nè sine Imperatore suo
 celebraretur triumphus. Tum quanta ex eo seges lætitiæ
 quòd cum Imperatore illo gloriari veriùs posset: se In-
 sulam illam lætitiæ recipisse, marmoream relinquere;
 Quid enim in Creta ante Clementem non argillaceum?
 quid à barbaro prædone in id vnum intento tutum? Nunc
 uerò si quid ibi est, quod certè magnum est, totum nostrum
 est: totum citra alæam; citra discrimen; sancitum pactio-
 nibus honestissimis, sacramento firmatum, quod cum à
 paludato illo Carnifice nunquam extorqueri potuerit,
 quis sperasset ab eodem tot cladibus fracto; tam conti-
 nētibus prælijs irritato, & quæ nostra socordia est, iam pe-
 nē victore. Quàm lucundum est Cerberum illum, è cu-
 ius rictu offam iam voratam eruit, eiusdem adhibere ea le-
 ge Custodem, ut dimidiam seruet nobis, altera ipsi parte
 in præmium cedente custodiæ? Dilui iam deditionem.
 venio ad alterum caput, Clementem scilicet è Creta in-
 Cretam dilapsam. Vtinam liceret Clementi tribuere,
 quod Marco Antonio, quem quod Cretæ mortuus esset,
 Metello quod uicerit, Creticum appellarunt; quid enim
 gloriosius ad illius nominis memoriam sempiternam? li-
 cuerit umbratili Sacerdoti ubi ligneam Dei Arcam captam
 inaudijt corruentem fracta ceruice perire, non liceat sū-
 mo Antistiti iustissimi doloris ictu prosterni, si audisset
 effracto iam uno, qui reliquus erat aggere posse facem il-
 lam, colluimque Turcici nominis, in omnes ferè Christia-
 ni orbis oras se se exonerare? imo quis ita excors, & ser-
 reus qui his auditis non contabesceret?
 Sed grates Superis quod tanti doloris causas auerterint.
 Vultis dicam unde fluxerit rumor Clementem audita de-
 ditione Cretensi, apopleptico primùm stupore tentatum
 demùm omnino corruisse? Non est hoc mendacium fa-
 mæ, sed Cretæ vêtosæ nimirum Insulæ, & mirum quantum
 sese

seſe circūſpicientis, quæ iā indè ab ortu ſuo aded mendas
 audiſt, adeo ſplendidis, & vncialibus eſt uſa mendacijs,
 vt Paulus, guttur illud melleum, veritus non ſit Cretenſes,
 ſemper mendaces appellare: Id autem indè factum eſt; ſi
 Hieronymo credimus, & Chryſoſtomo, quod Cretenſes
 non in Cælo viuere Iouem crederent, ſed in Creta vixiſſe,
 ſepulchrumque oſtenderent cum epigraphe: Hic iacet
 Inppiter. Quare non valde mirandum eſt, ſi ſemper hic er-
 rent, & Ioues ſuos tumulo claudant, ne poſſint abſcede-
 re. Verùm ut, vt ſit, liceat per me tibi, Creta, tua credulita-
 te frui, & Clementi extruere tumulum, illud tamen me au-
 ctore adde tumulo,

*Exoriare aliquis Clementis ab offibus ultor,
 Qui face Threiciũ, ferroque ſequare Tyrannũ.
 Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires.
 Litora litoribus contraria, fluctibus undas
 Imprecor arma armis, pugnent ipſique nepotes.*

Quod hætenus factum ſuſpeximus, cum primus ſequeſter
 pacis ad Principes; Alter belli Dux bis in Cretam; Tertius
 nè quid relinqueretur intentatum ad ſabũriora con-
 quirenda ſacri belli ſubſidia ſãctiſſimo vitæ exitu legatus
 migrarit ad Superos comitatibus cum honore triũphi, qui
 adoleſcenti nouo in Regno, in legatione ardua, honorificè
 excepto aſſent, Alcantarenſi, & Pazzia à Patruo ritè
 promotis ad aras.

Verùm Ego per iucunda Cretæ mendacia, heũ nimis ex ve-
 ro Clementem iam intuli tumulo, plurimis, quæ ad eius
 commendationem facerent prætermiſſis: nec me pænitet
 cum ſingula exornare nequeam, miſſa facere vniuerſa. Ve-
 rùm quis ille generoſo cultu manipulus qui contrahenti
 mihi uela orationis innuit, citato properans gradu ſibi
 mecum eſſe negotium, iubetque parumper ſubſiſtere.
 Agnoſco, uenerorque nobiles Roſpigliolæ familiæ alu-
 nos, qui ius rogi ſibi vindicantes faces, vnam flores, bal-
 ſama

sama, vniuersamque Libithinariam suppellectilem conue-
hêres funeris Curatores adueniunt. Sed parcite Proceres,
si inofficiosus orator dimitto, quos Clemês dimisit. Ex quo
ille supra omnem humanæ dignitatis enectus est apicem,
& Melchisedechi non habentis genealogiam successorem
se sensit non agnoscit Gentiles. Quanta hic laudum seges
existeret si continentiae singularis, incredibilis in tanta.
potestate modestiæ, Suorum neglectus, hoc vno titulo
quod Sui essent, quiquè plurimùm apud omnes commen-
dationis habent, in audita exempla possem dicendo profe-
qui? Verùm Clemens sui que, suorumque oblitus cum Iu-
lium exuit, quantus quantus erat, erat autẽ maximus etiam
ante Comitia, quibus creatus est quidem Pontifex, renũ-
ciatus est maximus, totus transijt in Clementem: cumque
Clemens ea appellatione Secundus gentilitias tesseras in
Vaticanum cum clauibus adorandas primus inuexerit,
Clemens Nonus ipsos Gentiles, vel merentissimos ita ab-
sterruit, vt magnopere laborandum fuerit Purpuratis Pa-
tribus, & Regijs oratoribus nẽ ijs sanguinis obeffet
communio, liceretque cum alijs sibi Iulium suum appella-
re Clementem. Vnumte Pompei Rospiliose non præ-
terirem, cui pauper summam tuam liberalitatem expertus,
supra hominem euectus supremum nepotis tui Iulij Ro-
mæ disertè est vaticinatus Imperium, vt liquidò pateret
quibus artibus, qua prensatione ad trigeminum Iulius re-
gnũ venerit, & quanta portenderetur innocentia, cum
Pauperes euangelizant. Verùm me plura conantem dice-
re dolor impedit, miseretque me vestrum, quorum vulnus
video tam illustrium recordatione gestorum recrudescere,
quantus Clemês fuerit, quantũ in eius obitu dolendũ sit, li-
cet, magis quam ex oratione mea, aliqua ex parte ex Sa-
crificuli vultu cognoscere, qui concinens, an complorans
iustissimi causam luctus perorat. Vidi ego cum iuberet
me de Clemente dicere, in ore ignem, in oculis lacrymas.

Gal-

Gallum ferunt in magnis tempestatibus domum ad loca
ab aquis tuta magno cursu contendere : Illi in eo tur-
bine qui terrarum Orbem concussit uniuersum, unicum
lacrymis innatare solatium . Nec mirerur quispiam non
feruari ordinem , nam sublato Gubernatore cuncta tur-
bantur, & ego perorationem alteri tribuo, & Gallicinium
non iam orienti supplicat Soli, sed parentat extincto .
Dixi.